



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XX. Explicantur tres aliæ prærogatiua ex Euangelio S. Lucæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Auctor denique quaestionum veteris & noui Testamenti, quae habentur in 4. tomo operum Augustini, q. 75. dicit, Christum soluisse duo didrachma, vnum pro se, & alterum pro Petro; quia sicut in Christo, ita & in Petro omnes continebantur: *Ipsam enim constituit, inquit, esse caput eorum, sicut pastor esset gregis Dominici.*

At HIERONYMVS in cap. 18. Matth. posteaquam dixerat Apostolos ex solutione didrachmi collegisse, Petrum principem omnium futurum, subiungit continuò: *Dominus causam erroris intelligens, gloria desiderium humilitatis contentione sanauit.* Errabant igitur Apostoli, existimantes Petrum fore caput.

RESPONDEO, errasse quidem Apostolos, non tamen in eo, quod Petrum principem futurum suspicabantur, sed quia temporalem principatum somniabant. Nec enim aliud eo tempore sibi promitti censebant, cum tamen multa de Christi regno audirent. Hunc errorem Dominus saepe correxit, monens praefectos Ecclesiae non fore similes Regibus Gentium, & vt se ad persecutiones, & mortem in hoc mundo non ad honorem, & gloriam praepararent.

CAPVT. XX.

Explicantur tres aliae prerogatiuae ex Euangelio S. Lucae.

SEPTIMA prerogatiua sumitur ex cap. 5. Lucae & Ioan. 21. in quibus locis explicantur duo miracula Christi, edita in piscatione Petri. Quorum primum manifestè designat, vt monet S. Augustinus tra. 61. 22. in Ioan. Ecclesiam militantem; secundum, Ecclesiam triumphantem; nam idcirco primum factum est ante resurrectionem Christi; secundum, post resurrectionem.

Item in primo, retia non iaciuntur in dexteram partem tantum, nec in sinistram tantum, ne solos bonos aut solos malos ad Ecclesiam venire credamus, sed indifferenter dicitur: *Laxate retia in capturam.* at in secundo, tantum in dexteram partem nauigij iaciuntur retia, quia soli boni colliguntur ad vitam aeternam.

Præte

Præterea in primo rumpebatur rete, & nauis penè mergebatur, quod significat schismata, & hæreses, & scandala, quæ Ecclesiam fluctuare cogunt: at in secundo non est ruptum rete, vt ipse Euangelista admonuit, quasi respiciens ad illam piscationem priorem, in qua retia rumpebantur, nec nauis fluctuauit, quia in alia vita nulla erunt schismata, nec scandala.

Ad hæc, in primo, sine vlllo numero comprehenduntur pisces, vt impleretur quod scriptum est Psalm. 39. *Annunciavi, & loquutus sum, & multiplicati sunt super numerum*: at in secundo, nulli fuerunt super numerum, sed certus numerus C. LIII. nulli enim præter numerum electorum colligentur ad regnum.

Denique, in primo pisces introducuntur in nauem adhuc fluctuantem; in secundo trahuntur ad littus, quod propter stabilitatem vitam immortalem & beatam designat.

Iam ergo in signis prærogatiua Petri est, quod in vtraque nauis, & piscatione, quæ apertissimè totius Ecclesiæ statum significant, semper Petrus princeps inuenitur. Nam Luc. 5. cum vidisset Dominus plures nauiculas, *intrauit in vnâ, quæ erat Simonis*, & ex ea docebat; vt intelligeremus, in ea tantùm Ecclesia esse & docere Christum, cuius gubernator est Petrus.

AMBROSIVS ferm. II *Hanc, inquit, solum Ecclesia nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus*. Ibidem soli Petro dicitur: *Duc in altum & laxate retia in capturam*. Vbi Petrus iubetur tanquam summus nauclerus, & piscator ducere alios ad piscandum. Ibidem Dominus exponens figuram, soli Petro dicit: *Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens*. Sic etiam Ioan. 21. Petrus dicit: *Vado pescari*, dicuntq; ei alij, *Venimus & nos tecum*. Ibidem: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*. Quid verò significatur aliud his figuris, quàm Petrum esse, qui homines de mundo ad fidem, & Ecclesiam militantem adducit, & qui eos regens & gubernans ad Ecclesiam triumphantem perducit.

OCTAVA est Luc. 22. vbi Dominus ait: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Quibus verbis clarissimè Dominus ostendit

osten-

ostendit, Petrum fore principem, & caput fratrum suorum. Sic enim exponunt Græci, & Latini: THEOPHYLACTUS in hunc locum: *Quia te habeo, inquit, & principem discipulorum, postquam negato me fleueris, confirma ceteros. hoc enim te decet, qui post me Ecclesia petra es, & fundamentum.* LEO ferm. 3. de anniuersario assumptionis suæ ad Pontific. *Pro fide Petri, inquit, propriè supplicatur tanquam aliorum statum certior sit futurus, si mens principis uicta non fuerit.*

NONA est, quod Christus resurgens primum omnium et Apostolis Petro se videndum præbuerit. colligitur id ex illis uerbis Luc. 24. *Surrexit Dominus uerè & apparuit Simoni.* Vbi notat Ambrosius, Simoni omnium primò Christum apparuisse ex uiris. Nam antè Mariæ Magdalenæ apparuerat, ut scribit Marc. cap. vlt. colligitur hoc idem & quidem apertè simè ex uerbis S. Pauli, I. Cor. 15. *Tradidi, inquit, uobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est, & qui sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, & quia uisus est Cepha, & post hoc undecim: deinde uisus est plusquam quingentis fratribus: deinde uisus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimò autem omnium tãquam abortiuo uisus est & mihi.* In quem locum CHRYSOSTOMVS: *Itaque, inquit, non omnibus initio uisus est, nec pluribus simul, sed uni tantum, & ei principi, & fide maxime digno.* Et infra: *Itaque, inquit, Petro primum apparet. nam quod Christum primus confessus erat, non ab re primus etiam resurgentem uidet.* Similia habet Theophylactus in hunc locum.

CAPVT. XXI.

Explicantur alia duæ ex Euangelio sancti Ioannis.

DE CIMA est, quod Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lauit, ut exponit Augustinus in cap. 13. Ioannis. Et quanquam Chrysostomus, & Theophylactus in eundem locum putant primum fuisse Iudam, secundum Petrum, tamen etiam ipsi ex hoc loco colligunt primatum Petri. Dicunt enim nullum alium præter Iudam passurum fuisse, ut sibi ante principem Apostolorum